



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

27 Purgatio vulgaris est prohibita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

26 Episcopo, † & Presbytero, alio etiam modo videtur canonica purgatio permiffa, si illi fit aliquod maleficium imputatum, quod pro singulis imputationibus Missam celebrare debeat, & communicare, & de singulis imputatis se innocentem ostendere, quod si non fecerit, quinquennio à liminibus Ecclesiæ extraneus habeatur, ut *cap. si Episcopus, ead. 2. quest. 4.* Aliis etiam exemplis comprobatur dicta purgatio per eundem Mart. del Rio. *eadem. 28 quest. 3.*

Sed hodie non est in usu, quia iuxta qualitatem, & gravitatem criminum, servatis de jure servandis, diversis pœnis plectuntur, de quibus *supra cap. 35. à num. 1. fere per tot.*

27 Alia est etiam † purgatio vulgaris, ut, quæ per duella proponuntur, quæ de jure communi est prohibita. Curt. Iun. *conf. 173. num. 1. par. 1.* nec unquam fuerunt permiffa, *cap. monomachiam, 2. quest. 4.* Sed sub gravibus pœnis fuerunt etiam duella à sacro Conc. Trident. prohibita, ut in *cap. 19. de reform. sess. 25.* post à Gregorio XIII. ut in *Bull. Rom. cap. 82.* ac postremo à Clem. Papa VIII. ut in *suis litteris de mense Septembris anni 1552. expeditis, & impressis.* Per ferri candentis indicium, ut, si ex eodem candenti ferro aliqua sequatur adustio, se expurgans, civilem pœnam subire teneatur, ut *cap. fin. de purgat. vulg. & gloss. in cap. ex tuorum, de purgat. canon.* Per subelectionem gladii percussione, ut factum fuit de scœmina septies icta, de qua in epist. D. Hieronymi. Quæ omnia sunt prohibita, ut *tot. tit. de purgat. vulg.* quia aliis peccatis præpedientibus quandoque condemnatur, qui de illo, de quo quæritur, esset absolvendus, ut

cap. 2. eod. tit. de purg. vulg. His enim temporibus ob malitiam humanam purgatio canonica periculosissimum est remedium, & ideo præsertim casibus supra expressis non est in usu, & quocunque casu illa ratio est utendum, & cum magna cautela, ut per Ignat. Lop. in *annot. ad Diaz præll. crim. 150. in fin. & Pegn. in Direct. Inquisit. par. 2. lib. 2. schol. 11. circ. fin.*

Purgatio † autem in causa hæresis, ut plurimum, fit in hunc, qui sequitur, modum: Episcopus, aut Inquisitor, & Vicarius Episcopi, ac assessores, seu consultores periti, in unum conveniunt: & excussis probationibus, reum condemnant ad se purgandum, septem, decem, viginti, vel triginta, plus minusve testibus, & in locis plurimis, vel paucioribus, magis, vel minus insignibus, in quibus fuit diffamatus: qui testes sint suæ conditionis, seu ordinis, ut si diffamatus sit religiosus, & illi sint religiosi: si clericus secularis, & illi clerici seculares: si miles, & illi milites: qui eum à crimine purgant, de quo est diffamatus. Compurgatores enim debent esse homines fidei Catholici, & vita probati, qui, & illius conversationem, & vitam, non tam moderno tempore quam antiquo notam habuerint, *c. inter sollicitudines, extr. de purgat. canon. Spreng. in mal. malef. quest. 21: §. sic autem, par. 3. & Pegna in par. 3. Direct. Inquis. comment. 38. vers. in cause purgationis, alias schol. 11. lib. 2. par. 2. & lib. 3. par. 3. Schol. §. vers. in causa purgationis.*

Vehemens, † seu magna suspicio ea est, quæ provenit ex signis exterioribus operum, vel verborum, ex quibus accipitur argumentum concludens frequenter: &